

DE PARANDI INFUSA ET DECOCTA RATIONE,

Et circa hæc de vera, ac legitima exercitatione,
COMMENTARIUM I.



Quid sit Infusio, et eam parandi modus proponitur. Cap. I.

NON paruum discrimen revera est inter Infusum, & Decoctum; in illo enim medicamenta tantum macerantur aliquo in liquore, & tamdiu, donec eorum vires illi distribuuntur: at in decoctionibus aut ebulliunt, aut decoquuntur. quæ omnia peroptimè cognovit *Mesue Distinct. 7. vbi de Infulis. Simplicia illa, quæ infunduntur, si radices, aut fructus, aut ligna, aut semina, aut lachrymæ fuerint, prius crassiusculè aut incidantur, aut contundantur; si verò folia, dilacerentur, & frangantur; deinde calido liquore, aut aqua macerentur: si verò flores integri infundantur, aut parum terantur, ut Mesue cap. de Infuso aquæ Casei. Tempus, quo hæc infusa manere debent, est varium pro diversitate medicamentorum: Galenus, ut cap. de Infusione diximus, libro primo, per diem, & noctem.*

O 2 Mesue

108 De vera Meth. Pharm. par.

Mesue flores rosarum, & violarum per octo horas; medicamenta purgantia, vt Rhabarbarum, & Myrobalani, per noctem, vt eadem Distinctione scribitur, sic & Agaricus, & radicum cortices hellebori per noctem: si igitur nullum sit præfixum à Scriptoribus, aut à Medicis tempus, per noctem macerentur dummodo non sint flores; hi enim per octo horas: si radices, & ligna per diem, & noctem vase semper cooperto, quæ iterum tepescant, & colentur, & exprimantur: ita diligenter ne aliquid humoris in illis maneat, maximè si humida, & recentia fuerint Simplicia, à quibus potius augebitur liquor, quam secus, vt in Infuso Rosarum viderelicer. quæ si per aliquod temporis curriculum à putredine incontaminata feruare volueris, oleum superinfundatur, soli exponantur, & vase diligenter obturato recondantur. At de his abundè lib. primo, vbi de Infusione.

*De Rosarum Infuso à Mesue descripto, et eius
Exercitatione circa modum illud pa-
randi, Dist. vi. vbi de Syr.*

Rx. Foliorum Rosarum recentium lib. vi.
Aquæ puræ lib. xv.

Macerentur Rosæ aqua calefacta in vase terreo, stricti oris, operculato, per spatium octo horarum, postea colentur: Eidem aquæ iterum calefactæ, rosarum tantumdem immittatur, & tamdiu macere-
tur,

tur, & coletur. Id si velis seruare oleo affuso & vase eodē benè operculato dies quadraginta insola. Ab his à Mesue narratis sex eliciuntur memoratu digna, quæ veram infundendi methodum Pharmacopœis demonstrant. quæ. Aqua sit calida, vas angusti oris, spatium octo horarum, eius colo purgatio, quæ supponit Simplicium semper expressionē, & olei infusio, & insolatio, vt à putredine incontaminata seruentur. Rosæ à portiunculis illis albis forfice mudentur, *Dioscor. non tantum præceptum cap. de Rosis, sed & Pauli, & Aetij, dum de Hydrorosato sermonem habent, quas exungulatas dicunt; nam talis alba portio incocta existens, vt gustus etiam indicat, aliquid acerbi, & adstringentis in se continet. Sint autem Rosæ perfectæ, atque completæ, vt cap. de Infuso, siue diluto aque Casei legitur. Non possum ego nisi admirari aliquorum audaciam, qui dum modum narrant hanc infusionem parandi ad Mesue mentē, affirmant aquæ accipendas esse libras viginti duas cum dimidia, qui tamen decreuit quindecim solum esse: at fortè dicent libram vnā aquæ secundum Mes. sententiam pendere decem & octo vncias; quod quidem me iudice est falsum; quo enim in loco hoc pronunciauit? præterea si hoc pro certo habent, cur in Infuso Myrobalanorum non ponunt libras quattuor cum dimidia, cum ibi sint tres, & in aqua mellis ab ipso instituta octo libras aquæ, & non duodecim? Non sint Rosæ, vt multi censent falsa opinione impulsī, matutino rore humentes; tormina quoniam affe-*

runt,

Error multorum.

Error aliquorum.

Error alter.

110 De vera Meth. Pharm. par.

runt, & cruciatus infirmis, & ventriculum interturbant, experimēto sint nobis fructus ante Solis ortū decerpti, rorida illa humiditate perfusi: adde quātitatē aquæ augeri, qua illæ macerantur, & earum pōdus diminui: quapropter imbecille euadit infusum.

De Infusione Rosarum, ac Violarum, quæ Solutina appellatur.

R̄. Foliorum Rosarum, aut Violarum lib. vj.
Aquæ purę lib. xv.

Decies, aut duodecies reiteranda venit quantitas Rosarum descripta à Mesue eadem semper seruata aqua, & cerera alia ad vnguem agenda, quæ superius ille proposuit. quæ omnia in Violarum infusione seruanda veniunt; sed animaduertendum est folia tantum illarum sumenda esse, vt apertè ille reliquit scriptum dicens: *Foliorum Rosarum, aut Violarū.* Sed quis *Seplasiariorū* inuenitur, qui non infundat rotas violas vnā cum uiridibus recepraculis à cauliculis ortis? nemo, si verum dicere licet. & ideo infusum illarum aluum rarò subducit, aut languidè, & ægrè soluit; cum non libras sex foliorum Violarum tale infusum recipiat; sed solum aut vncias tres, vel duas, quarum etiam perfecta operatio à portionibus illis superfluis impeditur, aut interturbatur. Preterea quinam imponunt reiterando decies semper sex rosarum lib. in 15. aquæ libris? nemo reuera: & ideo infirma vt plurimū est Syr. ros. solut. operatio.

De

Error circa
violarū in-
fusionē gra-
uissimus.

Error Se-
plasiariorū.

Error ali-
quorum.

*De Infuso, seu Diluto Rhabarbari, et Rosarum
in aqua Casei ex Mesue.*

R̄. Foliorū Rosarum recentiu, completarū vnc. ij.
Rhabar. optimi Aur. j.β. idest drach. j. β. & g. x.
cum dimid. circiter.

Spicæ Aur. β.
Aquæ Casei lib. ij.

Rhabarbarū, & Rosæ parūm terantur, (vel Rhabarbarum incidatur) macerentur per noctem in aqua Casei præsertim caprini, deinde cola, & propina: Seruatis alijs iam capite primo dictis. in nonnullis codicibus hæc leguntur, Rhabarbari aureos duos, & dimidium, & spicæ aureum, & dimidium: sed hæc Medicis relinquenda.

De alijs Infusis.

Multa possunt eodem modo, quo illa Rosarum, & Violarum parantur infusa à Pharmacopæis confici, vt foliorum florum Persici, quod aluum prorit, si quinquies macerentur, vel illarum rosarum albarum, quas recentiores Moschatas dicunt, vel florū Genistæ, idest Spartij Diosc. vel Fumariæ, ex quibus infusis & Serapia non rarò parantur; at non solum ex omni genere florum, sed cuiuscumque etiam herbæ hoc agere possunt diligentes, atque curiosi Pharmacopæi.

De

De Vinis Medicatis.

Inter Infusa etiam collocantur Vina medicata, quorum Prisci varia genera parabant pro diuersitate simplicium, quæ in ipsis macerabant; nunc enim Absinthium, nunc Saluiam, nunc Iuniperi Baccas, nunc Resinam, nunc Picem, nunc aromata quædam, sed vt plurimum Herbas narrante Dioscor. lib. 5. qui ita: *Hæc raro linteolo deligabant, & per spatium duorum mensum, aut quadraginta dierum dimittebant, & non rarò folia illo inuoluebant cum lapillis quibusdam, vt ille degranatus pondusculo fasciculus ima peteret vasis.* Quantitas Simplicium sit varia pro diuersitate affectionum; aliquæ enim eorum maiorem, vel minorem expostulant copiam, sed hoc onus est Medici iubentis: recentiores lignum Indum, Sassafrassi radicem, vel Chinæ immergunt. At non solum Antiqui Medici utebantur alterantibus vinis, ac roborantibus, sed etiam purgantibus, vt Aetius Ser. tertio, & Paul. qui multa genera vinorum parare docent humores è corpore extrudentia, sicuti bilem purgans, quod habet.

Scammonij,

Cassia lig. an. vnc. j.

Vini Sext. vj. vel lib. viij. vnc. iij. cum dimidia circiter.

Hæc tenuissimè trita linteolo illigentur, & hoc exactè in vino suspendatur, & sinatur ad quinque dies.

De

*De Vino Mulso Mesue quod Oenomeli
à Grecis appellatur.*

Rx. Vini antiqui, optimi lib. x.

Mellis optimi, despum. lib. ij.

Cinnamomi tenuis dr. v.

Spicæ Nardi dr. j.

Caryophyl.

Zingiberis,

Macis, an. vnc. β.

Cardamomi dr. ij.

Croci dr. j. β.

Moschi dr. iij.

Ingred. x.

Terantur omnia negligerter, & vino, & melle confundantur; deinde panno raro colentur, & Mosco aromatizentur. Est tamē arbitrandū saltem per curriculum quinque, aut septem dierum aromata illa maceranda esse, antequam colo traiciantur, vt eorum vires in liquorem transmittantur. at Diosc. diebus quadraginta quiescere sinebat, vinumq. recens, vel mustum sumebat, quod postquam deferbuerat, transfundebat: & sæpe Aromata simul trita, & linteo colligata in cadum musti demergebat. Oenomeli probatur etiam à Gal. lib. 5. de san. tuen. c. 5. sic: *Non veterem etiam nec ijs vinis, quæ melle condiuntur, senes uti, maximè quibus suspicio est calculi in renibus gignendi, aut podagræ, articularis ve morbi impetus futuri. Porro vinum huiusmodi compositioni aptissimum sue*

Vini Mulsi
usus à Gal.
probatur.

P rit

114 De vera Meth. Pharm. par.

rit Sabinum, aut simile aliquod. Coniicitur aut in id Petroselinum. atque id solum articularibus satisfaciat: ijs verò, qui calculo laborant, etiam aliquid Betonice, & Saxiphragie. qui verò curiosius id medicamentum componunt, Spicæ Nardi etiam aliquid inijciunt.

Aliud Vinum simile, sed suavius.

Rx. Vini albi, odorati, & vigorosi lib. ij.
Cinnamomi elec. vnc. ij.
Sacchari albi vnc. vij.
Moschi script. j.

Ingred. iiii.

Saccharum, & Cinnamomū crassiusculè terantur, cum vino confundantur, per dies octo maceantur; postea colo traiciantur, quibus moschum aliqua eius portione dissolutum adde.

*De Aceto Scillino à Mesue descripto
Veterum consensu.*

Rx. Laminarum Scillæ lib. j.
Aceti albi lib. viij.

Ingred. ij.

Error quot
nō insolât.

Scillæ Laminas inter corticem, & cor medias aculinea filo confutas tanto interuallo, ne se contingant, siccabis in vmbra dies quadraginta; postea cultello concisas ligneo in frustula dies alios quadraginta insolabis aceto iniectas in vase vitreato, stricti orificij, benè obturato, postea colabis, & vteris. Si verò accelerare cogeris, sepelire oportet vas

in

in calido cinere, vel fabuloso, non repente, sed paulatim horarum spatio intercedente. Mesue. Scilla sit alba, vt Dioscor.

De Hellebori Infuso densato, quod Recentiores Extractum dicunt, cuius exemplo, et Rhabbari, et aliorum parari potest.

R. Hellebori nigri corticū Radicū recentiu lib. ij.
Sem. Dauci vnc. β.
Aquæ communis lib. x. *Incred. iij.*

Macerentur Hellebori radices aqua calida per duos dies vnā cū Dauco, postea leuiter bulliant ad lib. j. consumpt. deinde exprimantur, ter hoc iteretur, semper nouas radices accipiendo, denique coletur, & Sole, aut diplomate euaporando, aut placidè ebulliendo exsiccatetur colatum; sic enim non destruitur facultas medicamenti à feruido calore ignis; vt quotidie euenit mulcis. Extracto tali, aut Infuso utebantur Græci, & Arabes; nam Dioscor. nos hoc efficiendi docet modum cap. de Gentiana lib. 3. cap. 3. sic: *Contusa radix quinque diebus aqua maceretur, postea discoquitur, dum exstant radices, & ubi refrixerit aqua, linteo excolatur, mox discoquitur, dum mellis crassitudo fiat.* Et Mesue cap. de Myrob. hæc: *Alij ipsarum tritarum partem vnā octo diebus macerant sero lactis caprini in vase vitreo oris angustis, deinde semel feruefiant, manib. cōfricant, colant, qua aqua exsiccata trochiscos fingūt.* Hoc pacto parare iubet Rasis Rhabar. extractū.

Error aliquorum.

Quid Decoctum, quis ordo in ipso faciendo seruandus, et Precepta quadam à Pharmacopœis memoria custodienda proponuntur. Cap. II.



DECOCTVM, seu Apozema, vt Actuario placet, atque Mesue, solent omnes appellare illum liquorem, siue sit simplex aqua, vel aliud, in quem facultates, necnon etiam interdum aliquæ substantiæ medicamentorum portiones transmissæ fuerint. Quorum vires, vt promptè, & secundum decoquibiliû naturam in ipsum à calore agente eliciantur, & foris educantur, is erit à Pharmacopœis in decoctis multa genera recipientibus Simplicium seruandus ordo, de quibus tamen cap. de Decoctionibus lib. primo egimus.

In aquam limpida, atque dulcem primò inijciantur ligna, postea frumentacea, vt hordeû mundû, quod sit optimè panno detersum. paulò post, vel etiam eodem tempore, si times decoctum viscidius fieri, Radices à capillamentis mundatæ, deterfæ, si magnæ in frustula dissectæ, atque contusæ, & ab internis medullis, si illis inerunt, expurgatæ, tales sunt Appij, Feniculi, Capparis, Rumicis, & similia. Deinde fructus nucleis priuati, qui si adhæreant, vt in Sebesten, & Iuiubis, ictibus cultri placentur, at ficus in partes secetur, à Myrobalanis educuntur nuclei pistillo confractis. Post hos Semina, quæ

quæ cortice si aliquo sunt inuoluta, denudentur, & vix contendantur, si admodum exigua non fuerint: Post hæc Aromata crassiusculè fracta, & confestim Folia, & Herba dilaceratæ manibus, atque diuulsæ, & ramulis priuata: Deinde flores, qui leuissimam coctionem admittunt; & tandem si occasio postulabit illa, quæ blandè, & placidè aluum subducunt, vt sunt Manna, Cassia, ac Tamarindi, quæ paucis ebullitionibus indigent, vt interdum Mesue placet, etiam si Mannam cum succo rosarum ebullire facit ad Syrupi crassitiæ in elect. de Manna. Præterea Purgantia medicamina, vt Agaricus, Colocynthis, Turpethum, cortices radicum Hellebori, Rhabbarum, & Sena tempore seminum iniiciantur; mediocrem enim ferunt decoctionem; vel cum ab igne decoctum feruens remouetur, macerentur per noctem, vel per spatium sex, aut octo horarum, immo Mesue interdum fricat tantum aliqua purgantia, vt in decocto epithimi dicens: *Cola, frica, in eo Hellebori nigri drachmam unā, Agarici dimidiam, & Salis Indi aureum unum, & utere.* Attamen est arbitrandum deinde relinquenda esse per aliquod tempus, vt macerentur, vt eorum virtus decocto communicetur.

Sed circa hæc quædam à Pharmacopœis seruanda veniunt, quæ quoquomodo videntur methodum iam propositam peruertere, quod tamē est falsum. & primò Radices tenues, & odoratæ vt Afari, nec non & ligna comminuta odorata cum aromatis ad ebulliendum ponantur; longam enim non susti-

net

Radices q̄
non ferunt
longam co-
ctionem.

118 De vera Meth. Pharm. par.

Myrobala-
ni longam
non ferunt
coctionem.

net decoctionem, vt Mesue. Secundò Myrobala-
ni, quæ inter fructus existunt, tempore foliorum,
& herbarum; eorum enim coctio purgatoriam re-
soluit virtutem, & adstringens efficit decoctum, te-
ste Mesue; cum floribus autem non sunt ponendi;
quoniam cum admodum sint exsiccatæ, & duræ a-
liquo indigent tempore longiori, antequam humi-
ditas vnà cum calore, ipsas permeet, vel in decocto
feruenti ab igne deposito macerentur.

Semina q̃
non ferunt
coct. longā.

Semina quattuor frigida vnà cum floribus, sic
Adiantum, & Epithimum, vt Mes. sic & Cassuta,
vel Cuscuta. Semina verò viscedinem quandam cō-
tinentia cum radicibus reuera essent ebullienda;
cum difficillimè eorum virtus dissolui possit: sed
quoniam lentum, & viscidum reddunt decoctum,
quod ab infirmis interdum damnatur, atque vitu-
peratur, tempore, quo semina decoquantur, vel ali-
quo panno inuoluantur, vt minor viscedinis copia
per decoctum diffundatur, Mesue mādatur, cum
desideramus mitiorem medicaminis qualitatem in
decoctum distribui.

Glycyrrhi-
zæ radix lō
gā sustinet
coctionem.

Hoc etiam seruandum venit circa Glycyrrhizæ
radicem, ne insuaue, & iniucundum reddatur deco-
ctum, quæ cū crassa sint substantia donata, & succo
potius lēto imbuta longā possunt ferre cocturā. At
si ægri hoc nō vetent, bulliant & semina illa, & hæc
radix cum alijs radicibus, vt mucosum euadat de-
coctū; talis enim fuit finis Medici, qui medicamēta
cōfecit: sin minùs ante herbas, atque folia bulliant.

Coquantur hæc omnia, aut eorum maior pars,
aut

aut aliqua secundum medicamenti indigentiam, ordine iam dicto, in fictili vitreato, aut vase æreo perfectè stanno obducto, maxima cum diligentia, mediocri flamma, & æquali, fumo omnino priuata vsque ad debitam liquoris, aut aquæ exhalationem; deinde exprimantur, & colo transfundantur denso, atque spisso: at si decoctum Cassiæ recipiat, aut aliud crassæ substantiæ, vt Mirobalani, Agaricum, & Rhabarbarum, sunt laxo, arque raro colo, vel panno raro, vt Mesue cap. de Mellicrato; à Medicis enim desideratur crassa etiam substantia per colum transferri: & maximè hoc agendum venit, si lentum, & mucosum fuerit decoctum. Post hæc si Moschum, aut Ambram, aut Opium, aut quid simile medicamentum in se contineat, pistillo cum aliqua portiuncula decocti dissoluantur, & læuigentur, & decocto immisceantur.

Quantitas aquæ, in qua simplicia decoquuntur, sit varia pro diuersitate decoquibilium, & interdum pro determinata quantitate decocti, quæ desideratur à Medico, cui interdum addito saccharo, exempli gratia, Serapia parantur. Duriora enim, & crassiora maiori copia aquæ indigent, talia exstant Ligna, Radices, & Frumentacea, vt Ordeum, vt, dum coquuntur, eorum vires in ipsam transmittantur, & ideo hæc coquenda ad consumptionem duarum partium: Fructus, & Semina, si odorata non existunt, paulò minori quantitate, vsquequo dimidium exhalet aquæ. Fructuum si determinatum sit pondus, vel numerus, hi sumantur nucleis priuati.

Folia,

Quantitas
aquæ in de-
coctione.

Fructus nu-
cleis priuen-
tur.

120 De vera Meth. Pharm. par.

Folia, & Herbae, maximè si virides, & recentes ad consumptionem tertiæ partis. At Flores, si solitarij, ad quartæ partis diminutionem bulliant. hæc autem proportionem quadam à duriori desumpta agatur: etiam si hoc non sit facile pro diuersitate, & varietate foliorum cum folijs, & fructuum cum fructibus. Desumitur præterea quantitas aquæ, in qua decoqui debent simplicia, à quantitate Decocti, quod requiritur ad tale Serapium conficiendum habita consideratione ad sacchari pondus ab autore præscriptum; cum vt plurimum pro singula libra sacchari quindecim, aut decem & octo vnciæ, vel saltem duodecim decocti, aut succi accipiantur. Aliqui pro quacumque Seminum, aut Radicum libra, quattuor libras aquæ imponunt, & pro quattuor Manipulis herbarum exsiccatarum libras duas, & viridiū vnam: attamen hoc à Mesue nō seruatur.

Cap. de decoctione, libro primo.

Sit igitur talis ordo à nobis præfixus in decoctis parandis à placitis tamen Illustrium Virorum, qui vetustiori sæculo Medicinam faciebāt, desumptus, dummodo in descriptione alicuius Pharmaci à graui, & excellenti Medico instituta contrarium aliqua in re non adinueniatur, quæ Methodum iam dictam peruertere videatur; quoniam tali in compositione debent Pharmacopœi eius mandata ad vnguem exequi pro firmo statuentes aliqua causa impulsu hoc iussisse. & hæc satis; est enim ad exercitationē descendendum. Non est tamen ignorandum posse interdum illos, vt cap. de Decoct. ad mentem multorum demonstraui, omnia simul infundere,

fundere, & per aliquod temporis curriculum mace-
rare, & postea decoquere diligenter: at primus mo-
dus magis à nobis probatur.

*Exercitatio circa Thymi Decoctum à
Mesue descriptum.*

R̄. Alhascæ, idest Thymi, in cuius defectu Satu-
reix, vt Dioscor.

Cassutæ, idest Cuscutæ à vulgo.

Hyssopi ana vnc. j.

Passularum enucleatarum drach. xx.

Myrobalanarum Emblicarum,

Cepularum, idest Chebula-
rum ana vnc. j.

Turpethi drach. iiij.

Stæcados,

Polypodij ana drach. v.

Eupatorij, Eupatorium Mesue est Ageratum
Dioscor.

Absinthij,

Sem. Anisi,

Dauci, eius loco semen Pastinacæ siluest.

ana drach. iiij.

Radicum Apij,

Feniculi ana drach. vij. Ingr. xix.

Coque omnia in lib. tribus aquæ ad duarum li-
brarum consumptionem, cola, adde colato Turpe-
thi, Agarici ana drach. j. Zingib. drach. mediam,
Q mace-

122 De vera Meth. Pharm. par.

macerari nocte sine, post ridie cola, & vrere. Mes.

Errores ali
quorum.

In aquam primò iniiciantur Radices Apij, & Feniculi ab internis medullis expurgatæ, & in frustula dissectæ, quo tempore & Polypodium cū Passis optimè mundatis, post aliquod tempus semina Feniculi, & Dauci, deinde folia, & herbæ, & Turpethum, & Myrobalani nucleis priuatæ deinde, & denique Cuscuta. drachma illa Turpethi, quæ Decocto per noctem maceratur, non sit ex illis quatuor, vt aliqui somniant. nec sint aquæ libræ quatuor; cum hæc omnia aduersentur mandatis Mes. qui re vera cognoscebat perfectissimè naturam decoquibulum, & cocturæ terminum, necnon purgantium omnium facultatem. In defectu Agerati, quod Herba Iulia dicitur, ponatur Absinthium, aut Asarum.

De Epithymi Decocto ex Mesue.

℞. Myrobalan. Indarum, idest nigrarum,
Stæcados,
Epithymi,
Passarum à nucleis purg. ana vnc. j.
Myrobalan. Cepularum, idest Chebul.
Fumariæ ana drach. iiij.
Folliculorum Senæ drac. viij.
Polypodij drach. vj.
Turpethi drach. iiij.
Eupatorij, idest Agerati Diosc. drach. v.
Seri lib. iij.

Incred. xiiij.

Omnia

*Omnia præter Epithymum coquantur in Sero (ideſt Capri-
no) ad duarum librarum conſumptionem, tunc adde Epithy-
mum, & ſemel ſerueſac; cola, frica in eo Hellebori nigri drach-
mam vnā, Agarici dimidiam, Salis Indi aureum, & vte-
re. Meſ.*

Coquantur ſecundū artem in Seri nō quattuor
libris, vt quidam affirmant, ſed tribus, (vel omnia
per noctem macerentur excepto Epithymo) quod
in fine addatur decoctionis, & vnica ebullitione
bulliat, quo quidem tempore nec Myrobalani, nec
Sena, vt aliqui affirmant, iniicienda ſunt, cum vni-
ca ebullitione illi nec humeſcerent, nec Sena ſuas
vires in decoctum diffunderet; cum mediocrem fe-
rat decoctionem, Meſ. teſte, ſed tempore aliarum
Herbarum, & Myrobalani paulò poſt, conſractæ
tamen. Sint radices Hellebori medulla priuatę, quę
vnā cum Agarico, & Sale per noctem, vel per ſex ho-
ras macerentur in decocto illo; deinde manibus fri-
centur, & colentur, & exprimantur: per noctem e-
nim macerare iuſſit Turpethum, Agaricum, & Zin-
gib. in decocto Thymi. Meſ.

Error non-
nullorum.

Error ali-
quorum.

Decoctum Stacados ex Meſue.

Rx. Stacados,
Origani ana drach. iiij.
Sem. Apij,
Feniculi,
Eupatorii, ideſt Agerati Dioſc. ana drach. iiij.
Schænuanthus,
Hyſſopi ana drach. ij.

Q 2

Tur-

124 De vera Meth. Pharm. par.

Turpethi albi, arundinacei drach. iiij.

Passarum purgatarum drach. viij.

Aquæ communis lib. ij. *Ingred. x.*

Error Se-
plafiar.

Primò bulliant Passæ, postea Semina, deinde ce-
tera folia, & denique flores ad dimidii exhalatio-
nem, & exprimantur, & colo traiciantur. Passæ
nō sint ex illis, quæ à Zacyntho ad nos deferuntur;
hæ enim minimè à nucleis purgari possunt, sed Da-
mascenæ, ne discedant, sicut multis in aliis, Sepla-
fiarii à mandatis Mes. Diosc. & Gal. qui semper affir-
mant nucleos abiiciendos esse. Decoquitur ad di-
midium; cum nec ligna, nec radices, nec crassa sub-
stantia prædita in se recipiat.

*Decoctum Commune pro Clysteri, cuius exem-
plo omnia decocta herbarum recen-
tium parentur.*

℞. Foliorum Maluæ,
Mercurialis,
Violarum,
Blitis ana Man. j.

Aquæ communis lib. j. β. *Ingred. v.*

Folia dilacerentur, & disrumpantur, & bulliant
ad exhalationem tertiæ partis, & colentur: aliqui
addunt Parietariam, alii Furfur, & aliqui Salis ali-
quam portiunculam.

Decoctum

*Decoctum flatus discutiens, quod à vulgo
dicitur Carminatiuum.*

Rx. Seminum Anisi,
Fœniculi,
Fenugræci,
Amcos, in cuius def. Anisi ana drach. iij.
Baccarum Lauri vnc. β.
Florum Chamæmeli,
Stacados ana M. β.
Aquæ communis lib. ij. *Ingred. viij.*

Bulliant ad consumptionem dimidij secundum
artem : alij alia addunt, vt Rutam, & Cumi-
num.

Decoctum Cardiacum, seu Cordiale.

Rx. Glycyrrhizę,
Tamarindorum ana drach. ij.
Vuę passæ vnc. β.
Zizipha,
Pruna,
Myxa, idest Sebesten ana nu. v.
Florum Boraginis,
Buglossi,
Violarum ana Pug. j.
Aquæ communis lib. ij. *Ingred. x.*

Radix

126 De vera Meth. Pharm. par.

Radix dulcis incidatur, & contundatur, & secundum artem cum aliis fiat decoctio ad dimidiū, in fine addendo post flores Tamarindos, postea collo raro transmittantur. Aliqui ante flores addunt drachmas duas Senæ, vel tres, & nonnulli imponūt Hordeum, quæ agenda non veniunt, nisi Medici imperent.

Decoctum Pectorale.

℞. Ficus nu. vj.
Zizipha nu. x.
Mixa, idest Sebesten nu. xv.
Hordei mundi,
Vuæ passæ ana vnc. j.
Glycyrrhizæ vnc. β.
Capil. Veneris,
Hyssopi ana P. j.
Aquæ communis lib. iij.

Ingred. ix.

Bulliant omnia secundum artem ad cōsumptionem duarum partium, vel saltem dimidii; recipit enim Hordeum, quod indiget longa ebullitione.

Decoctum Hellebori à Montano descriptum.

℞. Omnium Mirobalanorum ana vnc. β.
Olei Amygd. dul. fricatar.
Infundantur in vj. lib. aquæ calidæ, & macerentur per diem, & noctem, cui adde

Poly-

Polypodij,
 Epithymi,
 Folliculorum Senæ an. vnc. iij.
 Seminum citri,
 Glycyrrhizæ ana vnc. ij.
 Caryophyll. vnc. β.
 Corticum helleb. nigri drac. iij. *Ingred. ix.*

Bulliant omnia simul secundum artem, ante epithymū semina Citri confusa, Caryophylli iniiciantur, & hellebori radices, absumatur aquæ dimidiū, postea exprimatur, & coletur. vel hellebori radices post decoctionem omnium per noctem macerentur. Hoc decocto potest parari Serapium.

*De aqua hordei ad mentem Mesue, ubi
 de Morbis Pectoris.*

℞. Hordei optimi, mundi, & deterfi lib. j.
 Aquæ communis lib. xx. circiter. *Ingred. ij.*

Decoquantur ad exhalationē dimidij, aut duarum partium spumam semper auferendo.

De Aqua Mellis ex Mesue, et prius à Paulo descripta, quæ dicitur Mulsæ.

℞. Mellis optimi lib. j.
 Aquæ fontanæ dulcis, & claræ lib. viij. *Ingr. ij.*

Deco-

128 De vera Meth. Phar. par. &c.

Decoquantur igne lento, vase lapideo, vel vi-
treo, continuò despumando, deinde panno den-
so colentur. Mes. quantum aquæ absumendum ve-
niat non decreuit; cum varij Medicorum sint fi-
nes; at si mox per se bibenda, aquosior fiat ipso iu-
bente. talis euadet, si quarta aquæ pars absumatur.
addunt nōnulli Aromata, & alij herbas, vt sunt Sal-
uia, Rorismarini Folia, & Flores, & Betonica.

Postea descriptio diluta.

℞. Aquæ communis lib. ij.

Aceti vnc. ij.

Incred. ij.

Misce, si non ita dilutam cupis, sint acetii vnc.
iiij. si vigorosiores, sint decem, sed hoc ad
Medicum.

